



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. De iis, qui subjacent reservationi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Respondeo negando minorem. Nam ideo Episcopus in casu impedimenti temporalis directe absolvit a casibus Papalibus, quia hoc illi a jure conceditur, tum in Cap. *de casero de sententia excommunicationis*, tum alibi; Unde cum absolvatur poenitens directe a casibus Papalibus, non debet iterum adire Pontificem cessante impedimento, ut absolvatur; sed si peccato est annexa censura, absolvitur cum onere sistendi se coram Pontifice, non ut absolvatur iterum a peccato, sed ut stet ejus mandatis propter censuram incursum, aliter in eandem censuram incidit. At quando confessarius ratione impedimenti temporalis absolvit a casibus reservatis, tunc non absolvit directe, cum nullibi talis facultas illi tribuatur, sed absolvit indirecte, non secus ac indirecte absolvit a peccatis oblitis; & ideo cessante impedimento datur onus adeundi Superiorem pro absolutione directa. Quod si Sacerdos absolvat moribundum a reservatis, tunc ideo absolvit directe, & sine onere, (nisi forte censura sit denunciata, ut satisfiat foro externo) quia ex Tridentino pro illo articulo confertur cuilibet Sacerdoti facultas absolvendi a quibuscumque peccatis, & censuris: Hæc enim habentur sess. 14. Concilii laudati cap. 7. : *Pis admodum, ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint.*

ARTICULUS III.

De iis, qui subjacent reservationi.

- I. Impuberes probabiliter reservationi, & excommunicationi non subjacent, nisi exprimentur.
- II. Probabiliter etiam ignorantes reser-

vationem poenalem illam non incurunt.

III. Ignorantia reservationis est solum in causa, cur reservatio non incuratur; sicut dicitur de ignorantia excommunicationis, aut si de reservatione dubietur.

IV. Num peregrini absolvi possint a reservatis sua patria, si non sint simul reservata in diocesi, in qua versantur?

V. Num peccata reservata in diocesi absolvi possint a quolibet confessario, si fuerint commissæ in Monasterio exempto?

I. **C**ertum est, reservationi universim subjacere omnes subditos reservantis; nisi specialiter aliqui exciperentur, ut de facto Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus feminas excipit a reservatis luxuriae, & pueros, ac puellas omnes ante 14. annum ab omnibus reservatis. Dubium tamen est, An universim impuberes, peregrini, & reservationem ignorantes reservationi subjaceant?

Quæritur itaque primo; an peccata impuberum possint reservari?

Respondeo, Palud., Belloch. apud Dian. part. 1. tract. 1. Miscel. resol. 1. negare, quia minor ætas excusat pueros in foro exteriori a pœna extraordinaria; Unde diximus quæst. 4. art. 3., impuberes transgredientes præceptum confessionis annuæ non incurere in foro exteriori pœnas latas in transgressores, nec excommunicationem ullam, nisi forte exprimerentur.

Sed Perez disp. 45. sect. 3., Lug. Homob., & alii distinguunt duplex genus reservationis, alterum poenalis, alterum medicinalis, ex Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 32., & dicunt huic reservationi medicinali, non illi poenali impuberes subjacere. Reservatio autem dicitur Medicinalis, quando imponitur ut remedium, seu quando

do est veluti lex determinans casus, in quibus recurri debeat ad Superiorem pro meliori remedio applicando; Hoc enim expedit ad bonam Ecclesie gubernationem; & in tali casu sicut impuberes subjacent aliis Ecclesie legibus, verbi gratia, abstinentie a carnibus, confessionis annue, &c., ita pariter subjacent reservationi: Dicitur vero reservatio esse pœnalis, quando est quadam pœna imposita in lege in odium, & vindictam peccati; ut fecit Sixtus V. contra male promotos ad ordines; & in tali casu non subjacent impuberes reservationi; sicut nec subjacent juxta communio opinionem ulli excommunicationi, vel alteri pœnæ Ecclesiasticæ.

Equidem tamen censeo, probabile esse, quod nunquam impuberes reservationi subjaceant; sicuti nunquam subjacent excommunicationi, nisi exprimentur; cum eadem sit ratio de reservatione, ac de excommunicatione, ut mox dicemus.

II. Quæritur secundo; An ignorantes reservationem illam incurrant? Et idem quæritur de non advertentibus ad illam, dum actu peccant?

Respondeo, convenire communiter Doctores, quod censura ignorata non incurratur, sicuti nec incurritur, si ad illam non advertatur, dum committitur peccatum, cui annexa est censura; siquidem inadvertentia actualis, seu oblivio æquiparatur ignorantie invincibili, & inculpabili. Ratio autem, quare non incurratur censura ignorata, est, quia censura est pœna spiritualis medicinalis, quæ applicari debet peccatori ægroto, ut possit illum curare; Applicatur autem unice per cognitionem, & consequenter qui illam ignorat, non incurrit, ex Cap. *Ut animarum*, nisi ignorantia sit crassa, aut supina, prout suo loco dicemus. Dubium tamen est, an idem di-

Paris VI.

cendum sit de reservatione?

Prima sententia docet, illam incurri ab ignorante; Ita Homob. de Cas. reserv., Merol., & alii. Secunda sententia negat; Ita Quintanad. tract. 3. singulari 11. dicens, per hæc verba, *Ignorantia reservationis, sive juris, sive facti, etiamsi culpabilis, seu vincibilis excusat a reservatione.* Ita etiam Adamus Burghaber cent. 3. casuum selectorum casu 31., & alii apud Dian. part. 10. tract. 14. resol. 63., qui opinionem hanc satis probabilem existimat. Tertia Sententia distinguit cum Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 32., Pal. tract. 2. disp. 1. punct. 17., Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 6. cap. 1., Perez, Fagund., & aliis, qui docent, ut modo diximus de impuberibus, reservationem, quæ sit lex pœnalis facta in odium, & vindictam peccati, non incurri ab ignorante illam; secus vero reservationem, quæ sit lex medicinalis facta ob bonum commune Ecclesie, & rectam ejus gubernationem, quæ exigit, ut graviora crimina a Superioribus, & a Prælati cognoscantur. Demum magis ad rem Joseph de Januario resp. 1. distinguit duplicem reservationem, alteram legalem, quæ fit per legem universalem, aut per statutum synodale, ut plerumque fit; alteram vero personalem, quæ scilicet fit a persona Superioris per modum præcepti, præcipiendo confessariis, ne a tali vel tali peccato absolvant; quod raro accidit; Nam peccata, quæ reservantur ab Episcopis in tabella, prius reservata sunt per statutum synodale: Docet deinde Joseph de Januario, primam reservationem non incurri ab ignorante, quia habet rationem pœnæ medicinalis, non secus ac censura, & respicit directe pœnitentes; secundam vero incurri, quia directe respicit confessarios, quamvis in ordine ad Pœnitentes.

Z Equi-

Equidem cenſeo in praxi ſequendam primam opinionem; ſed probabilem etiam eſſe ſecundam, prout limitatur a Joſepho de Januario apud Dian. part. 10. tract. 14. reſol. 63. ; ita ut tunc ſolum reſervatio incuratur ab ignorante illam, quando delegans jurisdictionem delegat cum aliqua limitatione præcipiendo, ne delegatus a tali, vel tali crimine abſolvat, quod raro habetur.

Probat, quia omnis reſervatio habet rationem pœnæ medicinalis, ſi fiat per legem univerſalem, & eſt odioſa, tam confeſſario, cujus jurisdictionem reſtringit, quam pœnitentibus, qui coguntur Superiorem adire pro abſolutione: Atqui pœna ſpiritualis medicinalis ex communi Doctorum ſententia apud Sanch. lib. 1. Moralium cap. 8. non incurritur ab ignorante illam, (ut diximus de cenſura, quæ univerſim ignorata non incurritur) ergo nec reſervatio; Etenim tam excommunicatio reſervata, quam reſervatio peccati eſt reſtrictio jurisdictionis in abſolvente; utraque eſt pœna in delinquente, & eſt pœna medicinalis præſervativa a gravioribus delictis, ſpectans ad rectam Eccleſiæ gubernationem; ergo tam excommunicatio, quam reſervatio ignorata non incurritur.

Confirmatur primo; quia nulla medicina poteſt agrotum ſanare, niſi illi applicetur; atqui lex reſervationis, & excommunicationis ſunt medicina præſervantes a gravioribus delictis, & applicantur hominibus per cognitionem illarum; ergo niſi innotescant, non habent rationem medicinae, & ſic non debent incurri.

Confirmatur ſecundo, quia intantum lex reſervationis, & excommunicationis ſpectat ad rectam Eccleſiæ gubernationem, in quantum talis pœna deterret reum a gravioribus criminibus; atqui niſi innotescat, non

poteſt detertere, ergo ignorata non debet incurri.

Dices primo: Diſpar eſt ratio de excommunicatione, ac de reſervatione; Illa præſervat præciſe in quantum eſt pœna privans Sacramentis, &c. Hæc vero præſervat, non ſolum ratione pœnæ, ſed etiam quia dum pœnitens adire debet Superiorem, poteſt ab eo graviora, & ſalubriora monita habere, quam ab inferiore; ergo quamvis excommunicatio ignorata non incuratur, non tamen reſervatio.

Reſpondeo, tam legem excommunicationis, quam reſervationis reſpicere & bonum publicum, & pœnam delinquentis, quamvis diverſimode utrumque reſpiciant; quia tamen conveniunt in hoc, quod utraque ſit pœna medicinalis, conveniunt pariter in eo, quod ab ignorantibus non incurantur; quippe qui dum peccant peccato, cui ſit annexa vel cenſura, vel reſervatio, non ſunt prævaricatores talis legis poſitivæ, quam ignorant, & idcirco non ſunt rei talis pœnæ. Adde, quod etiam in excommunicatione reſervata habeatur hoc, quod per reſcurſum ad Superiorem poſſit delinquens habere ſalubriora monita ab illo, quam ab inferiore, & tamen etiam excommunicatio reſervata, ſi ignoretur, non incurritur; ergo inter excommunicationem, & reſervationem nulla diſparitas.

III. Dices ſecundo; Reſervatio eſt limitatio jurisdictionis in confeſſario, ſeu ablatio jurisdictionis relate ad tale peccatum; atqui ignorantia pœnitentis non poteſt conferre confeſſario jurisdictionem, quam non habet; ergo ignorantia reſervationis non impedit reſervationem.

Confirmatur, quia ſimplex Sacerdos non poteſt valide abſolvere a mortalibus, etiamſi bona fide pœnitens ad illum accedat. Et ratio eſt, quia

quia simplex Sacerdos non habet jurisdictionem in mortalia; Atqui neque Confessarius inferior habet jurisdictionem in mortalia reservata; ergo neque poterit valide ab illis absolvere, per hoc quod pœnitens bona fide illi confiteatur ignorans reservationem, seu restrictionem jurisdictionis.

Confirmatur secundo; quia ignorantia reservationis, si sit in Confessario, non facit, ut valide absolvat; ergo neque si sit in pœnitente. Et ratio a priori est, quia reservatio fit ad rectam Ecclesiæ gubernationem, quæ exposcit, ut graviora crimina a Superioribus tantum cognoscantur; ergo si illam sciant, siue nesciant pœnitentes, non possunt valide absolvi a reservatis, nisi ab habentibus potestatem in illa.

Respondeo, hoc argumentum, quod est Achilles Adversariorum, æque militare contra excommunicationem reservatam, & contra peccatum in dubio reservationis; quare sicut excommunicatio etiam reservata, eo ipso quod est ignorata, non incurritur, & ideo cessat caput, unde per legem, qua reservatur excommunicatio, limitatur in Confessario jurisdictione relate ad illam; & sicuti cessat limitatio jurisdictionis relate ad peccata reservata, quando dubium est de reservatione; ita pariter quando ignoratur reservatio. Limitatio itaque jurisdictionis est quidem circa peccata reservata; verum quia accedente ignorantia reservationis, peccatum non est amplius reservatum, ideo accedente tali ignorantia, sicut etiam accedente dubio reservationis, non habetur jurisdictione restricta, & limitata in Confessario.

Ad primam, & secundam confirmationem facilis est responsio, si advertatur, nos non asserere, quod ignorantia reservationis, quæ sit in pœnitente, conferat Confessario jurisdic-

tionem relate ad peccata reservata; sed solum asserimus, quod ignorantia reservationis, quæ sit in pœnitente, impediatur quominus per legem reservationis restringatur in Confessario jurisdictione relate ad illa peccata; eo prorsus modo quo impediunt limitationem jurisdictionis, tam dubium reservationis, quam ignorantia excommunicationis reservatæ; siquidem pœna medicinalis non incurritur ab ignorante illam; Unde fit, quod si ignorantia reservationis solum sit in Confessario, non per hoc Confessarius valide absolvit a reservatis, neque simplex Sacerdos potest valide absolvere a mortalibus, etiam si bona fide pœnitens ad illum accedat, quia simplex Sacerdos nullo pacto habet jurisdictionem in mortalia. Contra vero Confessarius inferior habet jurisdictionem in reservata restrictionem quidem per reservationem, sed non quoties datur caput impediens restrictionem talis jurisdictionis.

Quare a primo ad ultimum, nec reservationem, neque excommunicationem incurritur, qui illas ignorant; & quia communiter Doctores inadvertentiam actualem, & oblivionem æquiparant ignorantia invincibili, & inculpabili, inde fit, quod non advertens ad pœnam siue reservationis, siue censuræ illam non incurrat, non secus ac si ignoraret; Unde Sanch. lib. 4. cap. 22. docet, quod si quis, verbi gratia, in pœnam perjurii vovisset jejunare, quoties mentitur; si deinde mentiatur advertens ad votum non mentiendi, non vero ad pœnam impositam jejunandi, peccaret quidem, sed non teneretur jejunare, ex hoc scilicet principio, quod pœna extraordinaria, & medicinalis non incurritur ab eo, qui illam ignorat, aut non advertit ad illam.

IV. Queritur ultimo; Num pœnitenti subjaceant reservationi Episcopi

Z 2 pro-

proprii, quando extra ejus diœcesim versantur; an vero Episcopi loci, ubi obiter degunt sine animo permanendi, & sine fixo domicilio; An vero utriusque, an neutrius? Quod est querere, a quibusnam reservatis possint hospites, & peregrini absolvi; a reservatis in propria diœcesi, an vero in aliena, an a neutris, an ab utroque?

Respondeo, Pellizar. tract. 6. cap. 2. num. 93., Sancium in selectis disp. disp. 54., Sayr. lib. 3. cap. 4. Less. lib. 4. cap. 2. num. 49., docere, Peregrinos, qui non habitant alicubi animo permanendi per majorem partem anni, (quod requiritur, ut dicantur ibi habere quasi domicilium) neque teneri legibus patriæ, ubi non sunt, neque legibus loci, ubi sunt peregrini; Quare si casus aliquis sit reservatus ab Episcopo, tam in patria, quam in loco, ubi degit peregrinus, non incurritur talis reservatio a peregrino. Hæc tamen opinio communiter non admittitur; quia etiam si verum sit, peregrinum neque legibus patriæ, neque legibus loci teneri, adhuc reservatio, cum sit restrictio jurisdictionis in Confessario, potest a peregrino incurri.

Equidem plura circa hoc dubium ex Laym. annotavi quaest. 8. art. 1. Iterum hic adverto, Clem. X. prohibuisse regularibus, (& eadem est ratio in tali casu de Confessariis secularibus) ne absolvant peregrinos a reservatis loci, in quo sit confessio, nec a reservatis in patria ipsius peregrini, quando isti in fraudem reservationis adeunt eam diœcesim, in qua casus non sunt reservati, hoc est quando id faciunt ad vitandum iudicium proprii Pastoris, ut advertit Platel. num. 909. Et ratio ex Suar. disp. 25. sect. 2. num. 9. est, quia peregrini solum ex tacita concessione suorum Pastorum confiteri possunt extra pro-

priam diœcesim; hæc autem tacita concessio non praesumitur, quando in fraudem, seu ad vitandum iudicium proprii Pastoris, atque adeo mala fide vult aliquis confiteri extra propriam diœcesim, ubi peccatum a se commissum non est reservatum; Quod si non fiat in fraudem, seu hoc animo, sed bona fide, absolvi poterit, quia hic utitur jure suo; Etenim est probabilis sententia Suar. disp. 30. sect. 1., Lug. disp. 20. num. 71., Leand. quaest. 26., & Dian. part. 4. tract. 4. resol. 109. existimantium, universim posse peregrinum absolvi a casibus reservatis suæ patriæ, dummodo non sint reservati in ea diœcesi, in qua sit Confessio; quia judicandus est poenitens juxta leges ejus diœcesis, in qua versatur. Et est pariter probabilis sententia Soti, & Fagund. lib. 8. secundi præcepti Ecclesiastici cap. 8. num. 20. docentium, posse peregrinum absolvi a reservatis, quæ sint tantum reservata in ea diœcesi, in qua confitetur, & non in sua patria; quia reus judicandus est juxta leges superioris sui.

V. Immo Dian. part. 10. tract. 14. resol. 7. docet, quod si diœcesanus ipse committat peccatum extra propriam diœcesim, ubi non est reservatum, possit deinde absolvi in propria diœcesi, in qua est reservatum; quia commisit peccatum in loco, ubi nulla habetur reservatio, adeoque non commisit peccatum reservatum. Addit ulterius idem Dian. part. 10. tract. 14. resol. 7. ex Baucio, Bordon., Bonac., quod si quis committat peccatum ab Episcopo reservatum, intra aliquod Monasterium exemptum, neque incurrat reservationem, non secus ac si extra diœcesim illud committeret. Quod tamen non admiserim, quia monasterium solum quoad monachos est exemptum a jurisdictione Episcopi, non

vero quoad locum; unde peccans in Monasterio peccat intra diocesim Episcopo subjectam, etiam relate ad talem locum, atque adeo reservationem incurrit; & ita communius docent cum Suar., Con., Pal. apud eundem Dian.

Quod communiter Doctores docent, est, Peregrinos absolvi non posse a peccatis reservatis in utraque diocesi, videlicet & patriæ, & loci, ubi fit confessio, nisi ab habente facultatem in reservata; Sicut etiam communius docent cum Fagund. loc. citat. contra nonnullos, quod peregrinus, sive habeat reservata in propria, sive in aliena diocesi, possit absolvi a quocunque Sacerdote habente facultatem ab Episcopo suo in reservata; tum quia hoc fert consuetudo, tum etiam quia sicut ex consuetudine, & ex tacito consensu Episcoporum quilibet confessor potest absolvere peregrinos; ita pariter quilibet habens facultatem in reservata ab Episcopo suo potest absolvere peregrinos etiam a peccatis alteri Episcopo reservatis.

ARTICULUS IV.

Quinam possint absolvere a reservatis, & quomodo?

- I. Num jurisdictio ordinaria in reservata competat Pœnitentiario Cathedralis, aut Parocho?
- II. Quinam possint eligere sibi Confessarium, per quem a reservatis absolvantur?
- III. Nequit Superior Sacramentaliter absolvere a solis reservatis.
- IV. Qui constituitur Superiori, & oblitiscitur alicujus reservati, potest deinde ab hoc absolvi a quocunque Confessario.
- V. Si quis jubilai tempore invalide confitetur, poteritne deinde pariter ab-

solvi a reservatis?

VI. Quandonam tenetur Superior facultatem concedere subdito, ut a reservatis absolvatur?

VII. Quandonam possit Regularis, petita, & non obtenta facultate, a reservatis absolvi?

VIII. Num possit directe a reservatis absolvi penitens, si injuste facultas a Superiore denegetur?

IX. Quomodo Confessarius hanc facultatem petere debeat, ut possit ea pro se ipso uti?

X. Si petatur facultas absolvendi Titium a reservatis pro hac vice, poteritne hic absolvi a reservatis commissis post licentiam obtentam?

I. Certum est primo, posse a reservatis directe absolvere, tam qui ordinariam, quam qui delegatam habet jurisdictionem in reservata.

Certum est secundo, habere ordinariam jurisdictionem in reservata, tum qui ea reservavit, (non enim posset ea sibi reservare, nisi posset absolvere) tum etiam qui in hoc Sacramentali foro est reservanti jurisdictione Superior (dummodo qui absolvit, sit Sacerdos; Nam si non sit Sacerdos, poterit quidem reservare peccata alteri, sed non sibi; unde non poterit per se ipsum absolvere, sed per alium Sacerdotem, cui facultatem concedat.) Hinc fit, quod peccata reservata Episcopo possint non solum ab Episcopo, sed etiam a Pontifice absolvi; & quæ reservantur Superiori locali religionis, possunt etiam a Provinciali, & a Generali absolvi; quia in hoc foro dicuntur esse Superiores iis, quibus reservantur: At Archiepiscopus non potest absolvere a reservatis Episcopo suffraganeo; nisi forte quando illius diocesim visitat; quia Archiepiscopus, licet sit dignitate superior Episcopo, non est tamen Superior in hoc foro, cum non habeat im-